

ter fatis mentitur. 8) Et quod inprimis advertendum, carminis verba in libro Josuæ allegata hoc in libro non leguntur, sed traditio potius Elieferis ejus in locum est substituta, id, quod modo antea ostendimus.

## §. XI.

Nec est, ut existimes, carmen huic libro Anonymo subjunctum, esse ἐπιπινάσιον genuinum, quod Josua in Bethoron cecinit. Preces suas ad DEum fudisse Josuam, constat ex v. 12. Cum enim hostes in fugam coniecti & lapidibus grandinis prostrati essent, Josua precatus est, gratiasque egit; quæ preces procul dubio fuerunt prolixiores, quam hodie leguntur, in Josua; Videtur enim eum gratias DEO egisse, pro victoria impetrata, pro concessis viribus, pro tempestate hostibus immissa. Iisdem addidit votum, ut DEus prolongaret diem, ne imminens nox victoriæ finem imponeret, ac hostibus fugiendi occasionem daret. Ex his vero precibus exiguum nobis superest fragmentum, quia historicus tantum refert, Josuam dixisse in totius Israelis oculis;

*Sol in Gibeon sta,*

*& luna in valle Ajalon.*

Prolixiores easdem preces noster Autor exhibet, tam accurate imitatus Hebræorum carmina, ut, si phrasin respicias, fere nihil sit, quod cum biblico stylo non conveniat. Speciminis loco ejus initium apponamus:

רבות עשית אתה יהוה  
 פעלת גדולות מו כמוך  
 שפתי יזמרו לשמך  
 חסדי ומצודתי משגבי  
 שיר חדש אשירה לך בתורה  
 לך אזמר אתה עד ישועתי:

*Magna fecisti tu Domine,*

*Magna operatus es, quis tibi similis.*

*Labia mea canant nomini tuo.*

*Misc-*